

jectatur; a generante vero dispositive tantum, quatenus disponit materiam, ut Deus infundat formam, et in resurrectione disponentur corpora a Deo per ministerium Angelorum ut docet S. Thomas in addit. quæst. LXXVI, art. III.

### QUÆSTIO VII.

#### DE SUBSISTENTIA ET EXISTENTIA.

Isti modi non pertinent ad constitutionem naturæ, sed constitutæ adveniunt, pertinent autem ad ipsum totum, et ideo de illis agimus post ipsum totum, et constitutionem ejus.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit subsistentia conveniens ipsi composito?*

Inter proprietates, seu proprios modos, qui conveniunt naturæ substantiali, unus est subsistentia, proprium enim totius compositi est *subsistere, fieri, et existere*, ut colligitur ex D. Thoma, I part. q. XLV. artic. IV. De subsistentia ergo proprie pertinet agere ad Metaphysicum. Breviter tamen in præsentia, ut explicetur plenius quidquid pertinet ad rationem compositi naturalis, de subsistentia solum duo attingemus, scilicet quid sit subsistentia, et utrum conveniat indivisibiliter substantiæ totali, an etiam partialiter conveniat partibus, ex quibus totalis subsistentia resultat.

Circa explicationem primæ difficultatis supponendum est, quod præter singularitatem naturæ substantialis datur in illa aliquid, quod vocamus subsistentiam, ut advertit D. Thomas in III, dist. II, q. II, art. I, quæstiunculæ III ad 2, et constat in

mysterio Incarnationis, in quo assumpta est humanitas singularis, et tamen assumpta est sine subsistentia; unde pertinet subsistentia ad complementum, quo natura singularis redditur incommunicabilis ulteriori termino, et subjecta vel sustentans alia prædicata, sive accidentalia, sive substantialia: unde dicitur subsistens quasi sistens esse sub alio; in eo enim quod est sistens quasi incommunicabilis importatur, quod enim non transit ad alterum, nec communicatur alteri, dicitur sistere in se: ex eo autem quod sub aliis sistit, importatur ratio substantiæ primæ, seu suppositi, aut subjecti, quia subjicitur prædicatis superioribus, et accidentibus, quæ sustentat, et sub quibus est tantquam sustentativum illorum, quod proprium est primæ substantiæ, et hoc ipsum quod dicitur *subsistens*, seu *suppositum*, Græci vocant *hypostasim*, id est, sub aliis stans, et Latini *substans*, vel *subsistens*. Quod si hoc fiat in natura rationali, dicitur *persona*, de quo plura diximus in II p. Logicæ, q. XV, art. I.

Quod si quæras: Ex quo principio deducitur debere poni hanc subsistentiam tanquam aliquid distinctum a natura substantiali, et singularitate ejus, respondetur aliquos existimare solum id posse deduci ex mysterio Incarnationis, in quo fatetur fides integram naturam humanam esse assumptam sine personalitate. Cæterum D. Thomas etiam ex naturalibus principiis aliter investigari posse docet distinctionem hanc inter subsistentiam, et naturam, ut constat ex III p. q. II, art. II, et I p. q. III, ar. III, et opusc. XLVIII, tractat. de Substantia, cap. II, et quodl. II, art. IV, et aliis locis, quia videlicet invenimus substantias creatas etiam immateriales esse capaces accidentium realium, quæ ita illis inhereant, ut non mis-

ceantur earum naturæ, sed inconfusæ permanent, unumquodque in sua quidditate, ergo necesse est, quod uniantur naturæ non sub conceptu naturæ, sic enim pertinerent ad rationem naturæ, vel constituendo ipsam, vel constituendo cum ipsa aliquid tertium, illi autem entitati, quæ tantum importat rationem naturæ, secundum conceptum naturæ, seu id quo aliquid est tale, v. g. id quo homo est homo (hoc enim est natura) non potest ipsi entitati sic acceptæ ut *quo* aliquid uniri, nisi ut mixtum cum ipsa natura, et ad rationem naturæ pertinens, quia si conceptus naturæ est præcise, id quo aliquid est tale, v. g. homo, quidquid ergo in illo conceptu unitur, aut ad ipsam naturam pertinet, aut ille conceptus habet aliquid amplius quam solam naturam. Exigit ergo aliquid præter purum conceptum et rationem naturæ, quo reddat illam ut subjectum *quod*, respectu eorum quæ sunt extrinseca naturæ, et tamen impermixtæ cum ipsa uniantur, et non ut pertinentia ad rationem naturæ. Et inde est, quod non potest subsistentia pertinere ad gradum naturæ, quia gradus non uniantur extra constitutum naturæ, sed ad constituendum ipsam, et ideo quod se habet ut gradus, non est extra constitutum naturæ. Et præterea, ipsum suppositum supponit naturam cum omni gradu etiam singularitatis, siquidem omnes isti gradus sine subsistentia inveniuntur in humanitate Christi.

Sed dices: Persona Divina suscipit externam naturam, scilicet humanam, et tamen non distinguitur a natura ipsa Dei; ergo fundamentum positum non subsistit. Respondetur, quod nihil in Deo suscipitur, quod non sit ejus natura, nec enim est capax accidentis, quod recipitur per potentialitatem recipientis, et ideo in eo non est distinguere perso-

nam a natura respectu eorum quæ in se habet. Respectu vero naturæ create, quam terminat sine permixtione Divinæ naturæ, non requiritur quod persona distincta sit a natura Divina, quia per hoc nihil immutatur persona, nec recipit aliquid, sed sufficit distingui a natura creata, quæ sola immutatur in hac terminatione, non Divina.

Sed instabis: Quomodo ergo natura suscipit propriam subsistentiam tanquam distinctam a se, si ad suscipiendum ea, quæ sunt extra constitutum naturæ, dicimus indigere subsistentia tanquam distincta? Respondetur quod natura non suscipit subsistentiam, sed potius terminatur, et suscipitur in illa, ipsum enim suppositum, seu prima substantia substatur subjecit, tam secundis substantiis, quæ sunt prædicata constitutiva naturæ, quam accidentibus, quæ extrinseca sunt naturæ, et utraque suscipit sine permixtione inter se.

His suppositis, dubium est, an ista subsistentia addat aliquid positivum supra naturam, quam reddit subsistentem. In hoc non omnino convenit inter Auctores, nam aliqui existimant non addere super naturam aliquid positivum, sed negationem quamdam, quam aliqui explicant per negationem divisionis, eo quod suppositum dicit quoddam totum integrum et unum. Alii per negationem dependentiæ actualis ab aliquo in quo sit. Alii per duas negationes, scilicet dependentiæ actualis, et aptitudinalis, eo quod natura sic subsistens nec dependet ab aliquo, nec dependere potest, habet enim negationem unionis hypostaticæ. Quæ sententia est Scoti in III, dist. I, q. I, §. Ideo propter istum; et præcipue in §. Non asserendo, ubi ponit negationem actualis dependentiæ non sufficere, ut aliqua substantia dicatur persona, alias anima

separata esset persona, sed requiritur aptitudinalis negatio, quatenus natura aliqua secundum ordinem naturalem non potest dependere ab alio, licet supernaturaliter possit, et sic quamdiu natura singularis non assumitur a Persona Divina: Sola illa negatione, et non aliquo positivo superaddito personatur, quæ sunt verba Scoti; licet quia dicit tenere ista non asserendo, non videtur omnino fuisse hujus sententiæ, ut etiam aliqui ejus expositores videntur sentire. Et fere totum fundamentum est, quia nihil est positivum in natura humana, quod non possit a Verbo assumi, personalitas autem non potest assumi, ergo illa non est entitas positiva. Et confirmatur, quia alias non esset in Christo omnis entitas, quæ pertinet ad naturam humanam, nec quidquid Deus in ea plantavit, assumpsisset, quod negant Damascenus, et alii Patres.

Nihilominus omnino dicendum est: Subsistentiam addere supra naturam aliquid positivum, quæ est communior sententia theologorum in materia de Incarnatione ad quæst. II tertiæ partis, et sine dubio sumitur ex D. Thoma, qui I part. quæst. III, articul. .... inquit: « Quod hoc nomen personæ, non est nomen negationis, nec intentionis, sed nomen rei, » constat autem, quod persona directe non significat naturam, sed id quod naturæ additur. Et similiter quæst. IX, articul. II ad 3, inquit: « Quod hypostasis, et persona, addunt supra rationem essentiæ principia individualia, neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia, et forma. » Et denique quæst. III, art. III, inquit: « Quod id quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas: » quod certe verificari non potest, si non habet nisi negationem superadditam, hæc enim non est aliquid supra humanitatem.

Et fundamentum hujus est, quia subsistentia neque est negatio divisionis, quod pertinet ad unitatem, unitas enim in natura sine subsistentia salvatur, ut in humanitate Christi, quam assumpsit, ut unam in singulari, et non ut subsistentem, neque similiter est negatio dependentiæ, impossibile est enim, quod independens non sit perfectius dependente; dependentia autem est aliquid positivum, ergo independentia in illo genere non potest esse sola negatio, licet per negationem explicetur, sicut infinitas in substantia, vel quantitate, licet explicetur per negationem, aliquid tamen positivum est, et Deum esse independentem in essendo, maxima perfectio illius est. Unde fit argumentum: Omne non subsistens in quantum tale est imperfectius subsistente, vel perfectibile per subsistentiam, ut patet in anima separata, et quacumque alia parte, quæ imperfectior est, quam res subsistens, utpote incompleta et perfectibilis, subsistens autem est perfectum et integrum, et completum, a quo minus aliquid habet pars non subsistens, ergo potius non subsistens dicit negationem illius perfectionis, quam res subsistens solum addat negationem sine aliqua positiva perfectione super naturam non subsistentem.

Quod si dicas: Negationem dependentiæ, quam importat suppositum, dicere negationem alicujus majoris perfectionis, scilicet negationem unionis hypostaticæ, solum enim per istam unionem potest excludi propria subsistentia, ergo solum dicit negationem hujus unionis, quæ utique aliquid perfectius est; nam perfectiori modo natura est in Persona Divina, quam in se, contra est, primo, quia subsistentia naturalis, et propria non solum opponitur unioni hypostaticæ, sed etiam opponitur modo existendi ac-

cidentis, qui est inhærentia, et modo existendi tanquam pars incompleta; utrumque enim repugnat supposito, et consequenter ab illo excluditur, frustra ergo restringitur ad negationem unionis hypostaticæ. Deinde, quia subsistentia propria est aliquid naturale primo et per se, quia constituit aliquid ordinis naturalis, ergo non potest primo et per se consistere in negatione unionis hypostaticæ, quæ supernaturalis est, licet illam etiam includat, sicut in quacunque re naturali invenitur negatio rationis supernaturalis, non tamen ista negatione res naturales constituuntur primo et per se. Et urgetur amplius, quia vel ista negatio unionis hypostaticæ sumitur privative vel pure negative: si pure negative, non potest constituere personam, nam etiam accidentibus, imo et entibus rationis convenit negatio unionis hypostaticæ. Si privative solum convenit naturæ, ut capaci unionis hypostaticæ, solum autem est capax per potentiam obedientialem, ergo privatio etiam illi convenit secundum hanc capacitatem, ergo si per illam constituitur subsistentia naturalis, convenit subsistentia naturalis secundum capacitatem obedientialem, quo nihil absurdum dici potest.

Denique, in Divinis dantur propriissime tres subsistentiæ et personalitates relativæ, quæ in quantum subsistentiæ, positivas realitates important, non tres negationes; et subsistentia Verbi univit sibi humanitatem loco propriæ subsistentiæ, non autem univit illam in aliquo negativo, sed in aliquo positivo, quod cum loco subsistentiæ creatæ positum sit, et suppleat id quod faceret subsistentia creatæ, si hoc facit positivo terminando, etiam id faciet subsistentia creatæ.

Et hinc solvitur fundamentum Scoti; dicimus enim assumptam

esse a Verbo omnem entitatem naturæ humanæ, et quidquid ad eam pertinet in ratione naturæ, non tamen quidquid pertinet ad modum naturæ terminantem illam non constituentem.

Quod si inquires: Quidnam sit hoc positivum, quod subsistentia addit supra naturam, respondetur, neque esse solam individuationem, seu individuales proprietates, nec solam existentiam, cum utrumque inveniatur in accidente, et singularitas etiam in humanitate Christi sine subsistentia, neque esse solam existentiam per se, ut opponitur inhærentiæ, quia sic invenitur in partibus sine incommunicabilitate; sed addit supra naturam terminum quemdam, seu, formalitatem substantialiorem excludentem modum inhærentiæ, et modum partis communicabilis, sicque reddit naturam terminatam, et incommunicabilem ulteriori termino, sicut etiam punctum terminat lineam positiva additione, et terminatione.

Est tamen dubium inter aliquos, an sit terminus existentie, vel naturæ. Quidam enim existimant terminare existentiam, et supponere illam, eique advenire, ut P. Vazquez tom. I, III, part. disp. XXXI, cap. VI, quod etiam debent affirmare, qui existimant existentiam non distinguere ab essentia seu natura, sic enim adveniendi naturæ advenit existentie, in opposita autem sententia, quam legitimum esse D. Thomæ ostendimus art. IV, oppositum dicendum est, scilicet quod prius terminat subsistentia naturam, et ultimo advenit existentia tanquam primo, et per se conveniens supposito, et mediante supposito ipsi naturæ; hoc enim perpetuo docet D. Thomæ, ut III part. quæst. XVII, articulo II, præsertim ad 2, ubi inquit: « Quod esse sequitur naturam non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid

est, hypostasim autem seupersonam tanquam habentem esse, et ita magis sumi unitatem ex unitate hypostasis quam dualitatem ex duplicitate naturæ. » Nec potest D. Thomam explicari, quod nomine ipsius esse intelligit ipsum subsistere, ut aliqui dicunt; cum enim affirmat, quod esse sequitur ad hypostasim, esset sensus, quod subsistere sequitur ad hypostasim, hypostasis autem et subsistentia idem sunt, sequeretur ergo ad se ipsum. Et ratio hujus sumitur ex doctrina D. Thomæ, in part. qu. II, art. v ad 1, quia subsistentia seu suppositum innascitur seu convenit naturæ ex ipsa conjunctione partium, ex qua præcise resultat totum ut completum, et terminatum; nam hoc ipso quod totum est, terminatum debet esse, nec ulteriori termino communicabile, existentia autem convenit ipsi toti, in quantum subicitur actioni agentis, et causæ producenti, prius ergo ipsi naturæ convenit modus totalitatis, seu suppositalitat, quam modus seu terminus existentia, quia ipsum totum existentia ipsa afficitur, et ei subicitur, fieri enim proprium est suppositi, ut ostendit D. Thomas, I part. quæst. xlv, articulo iv, quia terminus generationis et creationis ut *quod*, est ipsum totum quod fit, forma autem est terminus ut *quo*, seu formalis, ejus autem est esse cuius est fieri, existentia autem non est aliud quam factum esse, et sic correspondet ipsi fieri: si ergo fieri non convenit naturæ ut subjecto *quod*, sed supposito, consequenter ut existentia sit in aliquo tanquam in subjecto *quod*, præsupponit subsistentiam et suppositum.

Nec hinc sequitur (quod Vazquez ubi supra deducit contra Cajetanum) prius natura esse constitutum et productum suppositum quam habeat existentiam, siquidem suppositum completur entitate illa reali,

quæ est prior, quam ipsa existentia, id autem quod est prius, potest esse sine posteriori. Sed responderetur facile, instando hoc in ipsa natura, quæ est prior quam existentia, et tamen non potest produci natura, et existere sine illa. Quod si dicatur, non posse produci naturam sine subsistentia propria vel aliena, hoc idem dicam de natura subsistente, quod non potest produci sine existentia propria vel aliena, cum in sententia D. Thomæ natura existat existentia sui suppositi. Et universaliter instatur hoc in causis, quarum una est prior altera in causando, et tamen sine alia non potest existere, quia causæ ad invicem sunt causæ. Et denique in omni prioritate naturæ, quæ solum est prioritas in dependendo non in existendo, non valet illa consequentia: Hoc est prius altero, ergo potest existere sine posteriori; arguitur enim a prioritate naturæ, et a *quo*, ad prioritatem essendi, et *in quo*.

Multo minus urget, quod addit P. Vazquez, non posse explicari quid sit illa entitas, quæ complet suppositum, et qua de causa necessario sit ponenda. Respondetur enim, quod est terminus reddens naturam incommunicabilem et terminatam, sicut punctum reddit lineam terminatam, et tamen non superfluit in linea, nec est entitas inexplicabilis.

Necessario autem est ponenda, quia necessario est ponendum totum ipsa substantia completum, et incommunicabile; iste enim effectus formalis incommunicabilitatis in natura per se existens, ab aliquo debet provenire, non a sola natura, vel existentia, ergo a termino.

## ARTICULUS II.

## Quomodo actiones conveniant suppositis?

Ex dictis colliges veritatem illius axiomatis apud Philosophos communis: Actiones sunt suppositum, quod negat P. Vazquez I tom. III p. d. XXI, c. III, eo quod Philosophus I Met. cap. I, solum dixit, quod actiones sunt singularium, id est, non versantur circa universalialia, sed circa singularia. Cæterum Auctores non collegerunt hoc axioma solum ex illo loco, sed ex illo, adjuncto eo quod docet I de Anima, text. LXIV: « Quod anima non irascitur, neque ædificat, vel texit, sed homo, » ubi licet loquatur de anima, quæ est forma partialis, non de humanitate, quæ est forma totalis: hoc nihil obstat, neque est sufficiens responsio, licet tradatur a P. Vazquez, eadem enim ratio currit de anima, quæ solum est principium *quo* fiunt illæ actiones, et de humanitate seu forma totali, quia etiam ex modo significandi solum se habet ut *quo*, et consequenter prout concipitur sub ratione formæ, non magis potest illi attribui principium operandi quam ipsi animæ, neque enim ex eo, quod sit forma totalis, mutat modum essendi in ratione formæ, et per modum principii *quo*, ergo neque modum operandi. Et in hoc concordat Philosophus VII Met. text. XXVII, ubi probat formam non fieri, sed compositum, quia generatio solum est circa hoc aliquid, et individuum, ubi si loqueretur de individuo, prout singulare tantum, etiamsi non sit suppositum, nihil probaret, quia etiam forma sive totalis, sive partialis, aliquid singulare est, ergo per *hoc aliquid*, aliquid amplius intelligit Philosophus quam formam, et videri potest D. Thomas in

I, dist. IV, q. I, art. VII ad 1, et III p. q. XIX, art. I ad 3, et q. XX, art. I ad 1, et q. III de Potentia, art. VIII, in fine.

Ratio autem est, quia operari sequitur esse, ergo illud quod solum significatur, ut forma et habens esse *ut quo*, non potest operari *ut quod*, sed hoc pertinebit ad suppositum, quod est habens esse et naturam.

Nec dici potest, quod hoc solum probant, quod subsistentia et suppositum solum concomitanter se habet respectu operationis, nec enim influit subsistentia, ut principium respectu operationis, alias ex mutatione subsistentiæ mutaretur operatio secundum substantiam, quia mutato principio non potest eadem permanere. Constat autem eandem manere operationem mutato supposito, sicut in anima separata eadem intellectio et volitio, et in accidente separato eadem infrigidatio et calefactio, quæ in conjuncto, et si natura aliqua operans assumeretur a Deo, eadem operatio continuari posset, ergo talis modus subsistendi vel inherendi pure concomitanter se habet ad operandum, ita quod licet per se requiratur ad constitutionem suppositi in primo modo per se, non tamen in quarto modo ad operationem.

Sed contra est, quia suppositum et natura vel ita comparantur inter se, quod utrumque est operans ut *quod*, vel utrumque ut *quo*, vel suppositum nullo modo operatur, sed sola natura, vel suppositum operatur ut *quod*, et natura ut *quo*. Si hoc ultimum dicatur, est nostra sententia. Si dicatur tertium, sequitur quod ad operationem omnino per accidens se habebit ratio suppositi vel subsistentiæ, et ita erit per accidens ista: Petrus ratiocinatur, vel ista: Ignis calefacit, sicut si diceretur: Album ædificat, vel Medicus currit; quod inconveniens videtur devorare

Vazquez, dum dicit, quod ita comparatur operatio ad rem existentem per se, vel in alio, sicut ambulare ad habentem caput nudum, aut cooperatum : quod stare non potest, quia suppositum est per se habens naturam, et per se ens, ergo per se operans, quia unumquodque est propter suam operationem, ergo sicut subsistens est non per accidens, ita est operans non per accidens. Si dicatur primum, vel secundum, omnino est impossibile, quia in uno supposito non dantur duo operantia ut *quod*, alias darentur duo existentia ut *quod*, et sic non posset ex illis unum simpliciter et per se resultare, quia non subordinarentur inter se, unum ut *quo*, alterum ut *quod*, sed utrumque esset ut *quod*, unde alterum non constitueret tanquam principium *quo*, atque adeo neque alterum esset *quod*; ubi enim non est principium *quo*, neque resultat *quod*. Et similiter non potest se habere ut principium *quo*, tum quia suppositum est operans incommunicabiliter, et ut totum, non ut *quo*, tum quia omne principium *quo*, dicitur comparative ad principium *quod*, et sic non potest utrumque se habere ut principium *quo*.

Ad oppositam autem instantiam respondetur, quod subsistentia non influit ut principium operandi, sed ut terminans seu modificans ipsum principium, reddensque illud operativum ut *quod*. Et quando instatur, quod mutaretur operatio mutata subsistentia, respondetur, quod non mutatur operatio quantum ad quidditatem et speciem, neque enim pendet a principio formali. Ceterum quantum ad individuationem, si loco unius subsistentiae ponatur, alia totaliter distincta, aut si daretur natura sine omni subsistentia propria vel aliena, sine dubio operatio esset alia numerice, quia esset aliud suppositum eliciens, vel sub-

jectum, quod non contingit in accidente separato, quia non mutat individuationem, nec enim individuatur ab actuali inhaerentia, sed ab ordine ad subjectum cui inhaeret; substantia vero individuatur in se terminando hanc individuationem per subsistentiam, quae per se requiritur ad constituendum subjectum seu operativum ut *quod*: anima autem separata similiter posset eandem numero operationem immanentem spiritualem continuare separata et conjuncta, quia ex se habet esse principium *quod* operandi, sicut et essendi si separetur; aliunde tamen discontinuari solent istae operationes propter dependentiam vel independentiam a phantasmatibus in intelligendo, et consequenter in volendo. Itaque actiones esse suppositorum, nihil aliud est quam subsistentiam per se conducere, ad hoc ut detur principium operativum ut *quod*.

### ARTICULUS III.

*An subsistentia in rebus compositis sit unicus simplex terminus, vel compositis ex pluribus subsistentiis?*

Partem affirmativam tenent plures recentiores existimantes, quod in omnibus compositis, etiamsi formae materiales sint, dantur partiales subsistentiae correspondentes diversis partibus compositi. Quam sententiam tenet P. Suarez in *Metaphys. disp. xxxiv, sect. v*, et plures alii ipsum sequuntur. Haec autem sententia tribuit subsistentiae partes duplicis generis, alias quasi integran-tes, quatenus res corporea, quae subsistit, divisibilis et extensa est, et consequenter etiam subsistentia falium partium extensa est, et divisibilis: alias partes habet quasi essentielles, quatenus plures modi persei-

tatis vel subsistentiae conjunguntur inter se, scilicet modus subsistentiae materiae, et modus subsistentiae formae, et faciunt unam subsistentiam compositam mediante unione. Sed tamen non omnes vocant istos modos subsistentias, sed solum modum materiae, eo quod est incommunicabilis alteri subjecto, et modum animae rationalis, quae per se separata esse potest: modum autem formae materialis non dicunt esse subsistentiam, eo quod neque separata esse potest, neque incommunicabilis est subjecto, scilicet materiae.

Et fundamentum pro prima parte, scilicet quod subsistentia rei corporeae habeat partes integrales, ex eo deducitur, quia ipsa substantia eas habet, et tales partes substantiae habent aliquem modum essendi, non per modum inhaerentiae et communicationis accidentalis, ergo per modum subsistentiae partialis, siquidem habent negationem inhaerentiae, ratione cujus dicuntur habere subsistentiam, et habent communicationem substantialem, ratione cujus partialis est. Et ex eodem fundamento ostenditur materiam habere subsistentiam, quia habet incommunicabilitatem ad alterum subjectum, ergo perseitatem in existendo, est enim extra causas cum incommunicabilitate, quod pertinet ad rationem subsistendi.

Denique, hoc urgetur duplici exemplo. Alterum est animae rationalis, quam habere subsistentiam perspicue docet D. Thomas 1 p. q. lxxv, art. 11, et de se constat, quia per se potest esse separata, et tamen non subsistit completo, alias esset persona et suppositum, non forma. Unde ibidem ad primum distinguit D. Thomas de subsistente completo, vel incompleto, et primum negat animae, secundum ei attribuit, ergo datur subsistentia non completa, et

sic non repugnabit idem concedi in materia, et aliis partibus. Probatur consequentia, quia etiam materia habet suam incommunicabilitatem et independentiam a subjecto, ergo habet condiciones subsistentiae saltem incompletae; et praesertim constat, quod anima non habet subsistentiam integram hominis, sed dimidiam seu incompletam, homo autem ex anima constitutus habet completam, et integram; ergo alteram medietatem sumere debet ex alia parte, scilicet ex materia, et sic materia debet subsistere incomplete componendo integram subsistentiam. Secundum exemplum est in unione Verbi Incarnati, siquidem assumpsit humanitatem mediantibus partibus, ita quod partes prius fuerunt assumptae via executionis quam tota natura, ut S. Thomas docet 111 part. quaest. vi, art. v ad 1, ergo partes humanae naturae aliquam habent subsistentiam. Patet consequentia, quia quidquid est assumptibile ab unione hypostatica, est capax subsistentiae; subrogatur enim subsistentia Divina, loco propriae, ergo si partes sunt assumptibiles, sunt unibiles subsistentiae loco propriae, remota ergo assumptione propriam habent, id est, partialem.

Nihilominus opposita sententia ut communior, ita verior est. Eam communiter defendunt Thomistae, et videri potest Cabrera, Alvarez, Nazarius, alique interpretes D. Thomae ad 111, p. quaest. 11, et P. Vazquez 111 p. disp. xxxii, cap. 11, et sequent. Sumiturque ex D. Thoma qui perpetuo negat subsistentiam seu hypostasim convenire partibus, seu toti, ut in 111 p. quaest. 11, art. 11 ad 3, et art. 111 ad 2, et 1 p. quaest. xxxix, art. 1. Videri etiam potest in 111, distinct. vi, quaest. 1 artic. 1 ad 1, et ibidem ad Annibaldum, distinct. vi, quaestione unica, art. 1 ad 1, ubi in-

quit : « Ad illud quod obijcitur, quod omnis substantia particularis potest dici hypostasis, dicendum est, quod hoc intelligitur de substantia particulari, quæ est in genere substantia per prædicationem; non per reductionem, id est, de eo quod perfecte participat naturam generis sicut ens completum in illo genere, quale non est pars substantiæ, non enim genus substantiæ prædicatur de manu, quamvis substantia secundum quod dividitur contra accidens de ipsa prædicetur, et secundum hoc duæ substantiæ particulares in Christo non sunt. » Item in opuse. XLVIII, tract. de Substantia, cap. II : « Sciendum, inquit, est quod substantia dividitur in formam, materiam, et compositum; materia enim non dicitur proprie esse per se, cum non habeat esse nisi per formam, similiter etiam forma non dicitur esse per se, cum solum habeat esse in materia. Compositum autem proprie dicitur esse per se; et dico compositum scilicet integratum ex suis partibus, licet enim partes integrales sint compositæ, non tamen dicuntur proprie esse per se; compositum enim directe est in prædicamento, ut Boetius in comment. prædicam. dicit, licet etiam posset dici, quod forma et materia et partes integrales sunt per se, quia non sunt in alio sicut accidens in subjecto. » Ita D. Thomas. Ubi tota difficultas resolvitur, solum distinguendo substantiam positivam a præcisa negatione existendi in alio ut accidens. Et hoc secundum attribuitur partibus, non primum, sed solum toti.

Et hoc est fundamentum hujus sententiæ ex ipsa natura subsistentiæ, quæ non dicit solum modum per se negativum, id est, carere in hærentia seu modo accidentis, hoc enim etiam humanitati Christi convenit non a Verbo, et tamen subsis-

tentiam non habet nisi a Verbo. Neque ista negatio sola est subsistentia partialis; tum quia est negatio imbibita in ipsa natura substantiæ, ut opponitur accidenti, non modus superadditus; tum quia est communis toti et partibus et etiam formæ materiali, cui tamen oppositi Auctores negant subsistentiam; tum denique, quia subsistentia partialis componit totalem, ista autem negationes in hærentiæ non componunt negationem totalem, nec subsistentiam totalem; totalis enim positivus modus est. Subsistentia ergo partialis debet esse positiva. Et sic ultra modum per se ut opponitur accidenti, debet importare rationem termini, et incommunicabilis, qui est modus proprius totius, ut distinguitur a parte; nec subsistentia aliunde nobis innotescit, quam ex ipsa ratione ultimi termini naturæ, constat enim totam humanitatem fuisse unitam Verbo, non ut parti vel constitutivo naturæ, sed ut termino naturæ jam plene constitutæ, ergo nulla restat nobis ratio ponendi hunc modum subsistentiæ in partibus, si quidem partes nondum supponunt naturam plene constitutam, et consequenter nondum induunt rationem termini et incommunicabilis, qui est proprius totius et extra constitutiva naturæ. Dicere autem quod habeat quælibet pars suum modum existendi per modum termini, sed non ultimi, in primis hoc est contra rationem termini, qui de se ultimationem dicit: deinde contra rationem subsistentiæ, quia si totum principium indagandi illam est ex ratione terminationis, quæ supervenit naturæ jam constitutæ nulla nobis restat ratio attribuendi illam partibus per modum termini partialis et non ultimi, in quibus nondum invenitur tota natura constituta, et abutimur nominibus, vocando terminum id quod rationem et offi-

cium termini non exercet, scilicet ultra non communicari nec transire, pars enim ut pars communicatur, non ultimo terminatur.

Denique, si semel partes ponuntur habere partiales subsistentias, etiam partes integrantes illas habebunt, neque enim est major ratio de illis, quæ sunt compositæ ex materia et formâ, quam de materia vel forma seorsum, sed in uno continuo sunt infinitæ partes divisibiles, ergo erunt infinitæ subsistentiæ. Et si dicatur habere infinitas subsistentias in potentia et unam finitam in actu. Ergo jam illa subsistentia unica actualat totam illam entitatem divisibilem partium non designatarum, ergo jam plures partes subsistentur unica actuali subsistentia, quæ convenit parti aliquotæ seu designatæ; ergo si talis pars aliquota separatur a toto manebit cum unica subsistentia. Cur ergo similiter totum habens plures partes aliquotas, et designatas non poterit unica subsistentia simplici per modum ultimi termini eas comprehendere? Quod si plures partes integrales non habent plures subsistentias, cum tamen sint capaces divisionis, quæ fiant integralia tota, cur materiæ et formæ non sufficiet unica subsistentia? Omitto non bene intelligi, quomodo illæ partiales subsistentiæ componunt subsistentiam totalem, cum non se habeant per modum potentia et actus, sed omnes sint termini homogenei, et ejusdem rationis, et sic non apparet quomodo componant modum subsistentiæ totalis, tanquam per se unum.

*Solvuntur argumenta.*

Ad fundamenta opposita. Ad primum de partibus integralibus respondetur, quod habent per modum es-

sendi dependentis a toto et ab eis esse subsistentia, et sic non habent in se subsistentiam partialem, sed partem componentem totum quod subsistit; negatio autem in hærentiæ, quam habent illæ partes, facit quidem quod sint partes vel formæ substantiales, sed non subsistentes; non enim sufficit ad subsistentiam quodcumque substantiale, vel sola negatio in hærentiæ, ut dictum est.

Ad secundum respondetur, quod materia prima habet incommunicabilitatem ad ulterius subjectum, non per modum totius completi, sed per modum principii potentialis: est tamen materia communicabilis formæ ad constituendum totum, unde non habet omnem incommunicabilitatem, quæ requiritur ad subsistentiam, quæ est per modum termini supponentis totam naturam constitutam, et sic ulterius non se communicant ad constituendum, quod non convenit materiæ. Denique, subsistentia est terminus incommunicabilitatis in ipsa existentia, seu esse, materia autem non habet existentiam seorsum a toto, ut supra ostendimus; ergo caret subsistentia.

Ad primum exemplum adductum de anima rationali dicitur, quod anima rationalis non habet subsistentiam, de qua loquimur in presenti, qui est terminus ultimus et hypostaticus, sed solum habet subsistentiam, quantum ad rationem existentia per se sine dependentia a toto; et sic ex duobus officiis, quæ habet subsistentia, scilicet terminare naturam, et reddere existentiam independentem; ut distinguit S. Thomas in questione de Anima, art. I, non convenit animæ subsistentia quantum ad primum officium, sed quantum ad secundum, quod sine subsistentia haberi potest, ut apparet in accidente separato, quod sine subsistentia exis-

tit extra subjectum. Quare anima humana non habet subsistentiam, quæ compleat et constituat suppositum, etiam quando est separata, quia adhuc est communicabilis et unibilis ut dicit S. Thomas I p. q. XXIX, art. I ad 5. Ex hoc ergo quod anima habeat capacitatem ad existendum per se sine corpore, non sequitur quod in materia et aliis partibus, quæ nec habent esse per se, nec naturam completam, detur talis subsistentia partialis; id enim quod in anima habet officium subsistendi quantum ad existentiam per se, non est subsistentia partialis, sed ipsa existentia animæ, quæ in ipsa est per se, et communicatur materiæ, et toti composito, ut docet S. Thomas I p. q. LXXVI, art. I ad I, et I-II, q. IV, art. IV, ad 2. Et sic salvatur unica existentia in toto homine, non solum derivata a forma, ut a principio quo existendi, sed in se prius existente independentem a toto. Bene verum est quod Cajetanus I p. quæst. LXXVI, art. I, circa solutionem ad 5, et quæst. XC, art. II, tenet, quod anima in corpore etiam subsistit, ut *quod*, sed oppositum ex Ferrariensi docet Banez super illam quæstionem LXXVI, articulo I, et significatur a Div. Thoma in IV ad Annibaldum, distinct. XII, quæstione unica, art. I, ad 3. « Quod anima quamdiu est in corpore, subsistere convenit ei aptitudine, non actu. » Revera enim hoc quod habet anima, ut *quod*, non est subsistentia terminaliva et hypostatifica etiam partialiter, sed solum est existentia independentem a corpore, sicut esse accidentis separati a toto, non tamen est subsistentia ut *quod*, per modum complementi naturæ. Et hac ratione D. Thomas q. XC citata, artic. II ad 2, dicit, quod anima habet esse subsistens, id est, esse independentem, non tamen subsistens quantum ad complementum natu-

ræ, et sic non subsistit ut *quod*; sed ut *quo*, subsistentia proprie et adæquate dicta, quæ est modus non solum existendi per se, sed terminative et incommunicabiliter, qua ratione etiam hic Deus remotis relationibus non subsistit, licet per se existat, et non sit pars, et hac ratione vocatur subsistentia absoluta.

Ad id vero, quod additur in argumento, quod si anima non habet completam subsistentiam, ergo id quod deest, sumitur ex materia, respondetur, quod anima non habet completam, nec incompletam subsistentiam, quæ per additionem alterius compleatur, subsistentia enim totius ut est modus incommunicabilitatis naturæ, non ex pluribus subsistentiis componitur, sed ex unione animæ et corporis resultat, quæ solum se habent ut principia subsistendi totaliter, non ut res subsistentes etiam partialiter, sumendo subsistentiam pro termino complementi naturæ, non pro esse existentie independentis tantum.

Et si dicas: Si anima humana habet esse totius, et ipsius materiæ, cui communicat, ergo pereunte homine non perit esse hominis et per conjunctionem animæ et corporis non fit esse hominis, respondetur, quod perit esse hominis, ut hominis, non ut animæ, sicut si Verbum dimitteret humanitatem, non amitteret esse Verbum, sed amitteret esse hominem, et communicationem ipsius esse, et sic esse hominis est esse animæ non absolute, sed ut communicatæ corpori. Et quando fit homo, non fit aliud esse ab anima, sed illud esse quod est animæ, fit esse totius conjuncti, ut dicit S. Thomas in I, dist. VIII, q. V, articulo II, ad 2.

Ad secundum exemplum de unione Verbi respondetur, varias esse Theologorum sententias in expli-

cando quomodo Verbum prius fuerit unitum partibus, quam toti. In sententia autem S. Thomæ est certum, quod immediate fuit unitum toti humanitati viâ intentionis, ut constat ex III p. quæst. VI, art. V. Quando autem dicit, quod Verbum prius assumpsit partes in viâ operationis, non est sensus, quod prius assumpsit ipsas partes de facto terminando illas, et deinde totum, sed quia pro aliquo priori partes ordinantur ad totum, non quidem in facto esse præexistendo aut subsistendo, sed componendo totum, cui subsistentia convenit, ideo dicitur assumptio partium esse prior viâ operationis, quatenus pro illo priori ordinantur ut *quo* ad subsistendum in toto, in quo manent assumptæ. Unde dicit D. Thomas in III, distinct. II, q. II, art. I, quæst. III: « Quod partes sunt priores toto originaliter constituentes ipsum, et sic medianibus partibus assumpsit totum, in quantum partes originaliter humanam naturam constituunt. » Quare unico verbo dicimus, quod partes prius sunt assumptæ ut *quo*; non ut *quod*, sicut nec ipsæ partes subsistunt nisi ut *quo*, id est, ut id *quod* componitur totum quod est subsistens, personalitas autem Verbi subrogatur loco subsistentiæ eo modo unicuique conveniens, sicut propria subsistentia conveniret, si ibi adesset; quia tamen anima ita est principium constituens ut *quo*, ipsum totum, quod etiam in se potest existere separata a toto, licet semper se habeat ut pars unibilis, ita ex vi illius assumptionis datur ei, quod etiam separata a corpore maneat unita Verbo, quantum ad modum essendi independentem a toto, non quia existat per modum personæ.

Quod si instes: Anima separata mansit unita Verbo; ergo illa unio præbet ei aliquam subsistentiam; ergo signum est, quod anima de se

habet illam, siquidem subrogatur loco propriæ, ea quæ est Verbi, licet partialiter, responderetur manere animam unitam Verbo, non per modum termini ultimo incommunicabilis, sic enim esset persona complete subsistens, defectu cuius etiam facta separatione Verbum non dicitur anima per unionem ad ipsam, sicut per unionem ad humanitatem dicitur homo, eo quod Verbum non unitur nisi per modum personæ et suppositi: et sic non dicimus quod Verbum est anima, bene tamen quod Verbum est homo. Unio ergo illa non est ad Verbum, ut importat subsistentiam, prout exercet officium termini incommunicabilis, sed ut exercet officium habendi esse independentem, licet communicabiliter ad materiam; hoc enim etiam largo modo dicitur subsistentia, licet non ita proprie, ut S. Thomas docet I par. quæst. LXXV, art. III supra citato, et aliis locis: unde tale esse independentem suppleri potest per immediatam unionem Verbi, quod tamen non potest fieri in accidente separato, quia ex se non habet esse independentem, sed sustentatur a Deo extra subjectum efficienter vice subiecti non terminative, et ideo ad terminum subsistentem assumi non potest.

## ARTICULUS IV.

*Utrum existentia distinguatur a parte rei ab essentia, seu composito?*

Celebris est ista controversia ab antiquis temporibus, in qua valde Authores dissentiant. Nam Durandus in I, dist. VIII, q. II, sentit existentiam ratione tantum distingui ab essentia, quem ex recentioribus sequuntur P. Suarez disp. XXXI Met. sect. IV, et seqq. Vazquez III p. q. XVII, art. II, disp. LXXII, capite ultimo;

Arrubal 1 p. q. iii, disp. x, cap. 1, et alii.

At vero Scotus in iii, dist. vi, q. 1, existimat distingui quidem existentiam actualem ab essentia ex natura rei, distinctione tamen formali, non reali. Quid sit autem distinctio formalis ex natura rei apud Scotus explicavimus in Logica, q. iii.

Communis autem Thomistarum sententia, aliorumque plurium sentit, existentiam actualem distingui ab essentia a parte rei. De qua sententia videri potest Cajetanus de ente et essentia, q. xi; Ferrariensis ii contra Gentiles, cap. lii; Capreolus in ii, dist. xiii, q. 1, art. iii, et communiter omnes interpretes D. Thomae ad primam partem, quaest. iii, et in part. quaest. xvii, articulo ii. Et praeterea sequuntur hanc sententiam Conimbricienses ii Physicorum, cap. iii, q. iii, artic. 1; Rubio 1 Physicorum, tract. de materia, q. ii; Molina 1 p. q. iii, art. iv, disp. ii, alique plures.

Videtur autem tota dissensionis origo in hac parte ex eo provenire, quia diversimode considerantur ea, quae ad existentiam pertinent. Nam ex una parte existentia habet pro effectu formali ponere rem extra causas, et extra nihil, quod est transferre de statu possibili ad statum actualem. Unde si condistinguitur existentia ab essentia, essentia remanet nihil, et consequenter non datur extremum reale sine existentia a quo realiter distinguitur. Ex alia vero parte existentia, quando convenit essentiae, accidentaliter illi convenit, ita quod est praedicatum extra conceptum omnium praedicatorum essentialium, qua ratione fundat Scotus quod distingui debet existentia ab essentia formali distinctione, quatenus unum in re non est de conceptu alterius. Et ulterius alii fundant distinctionem a parte

rei, quia taliter existentia est extra conceptum naturae, quod nec est praedicatum illius essentialia, nec in aliquo tertio constituendo essentialiter convenit; sed constituit statum quemdam, qui omni naturae creatae, etiam postquam producta est accidentaliter, et contingenter convenit: haec enim est accidentaliter propositio: Petrus existit, ergo talis existentia aliquid distinctum est a parte rei ab ipsa re, quae existit, ita quod quando res producitur, necessario exit ipsa entitas cum modo vel realitate superaddita, quae existentia, sicut substantia exit cum modo vel realitate superaddita, quae est subsistentia, et tamen sine subsistentia substantia ipsa nihil est, sed intra statum possibilitatis manet. Et fere omnia quae contra distinctionem existentiae adducuntur, instantur in distinctione subsistentiae et naturae, quas tamen a parte rei distingui ex fide colligimus, et similiter in materia et forma, quas constat distingui a parte rei, et tamen sine altera non potest dari in rem natura.

Sit ergo unica conclusio: In sententia D. Thomae et vera existentia in rebus creatis distinguitur a parte rei ab essentia. De mente S. Thomae non videtur posse dubitari, nam in primis sub his terminis distinctionis realis affirmatur ab ipso in opus. xlviij, tract. de substantia, c. ii, ubi inquit: «Esse essentiae, et esse actualis existentiae differunt realiter ut duae diversae res.» Et in opus. xv, c. viii, inquit: «Quod in quoque praeter primum est potentia receptiva hujus actus, quod est esse.» Et postea subdit: «In substantia composita ex materia et forma invenitur duplex ordo, unus quidem ipsius materiae ad formam, alius autem ipsius rei jam compositae ad esse participatum, non enim est esse rei, nec forma ejus, nec materia, sed aliquid adveniens rei per

formam.» Praeterea ubicunque tractat D. Thomas de esse Dei et creaturarum ostendit, quod in Deo non differt esse et essentia, in Angelis autem et quacunq[ue] creatura differt esse et essentia, ut 1 part. q. iii, artic. iv, et ii contra Gentil. cap. xxv, et quaest. vii, de poten. artic. ii, et aliis locis et similiter, quod sit compositio ex ipso esse et essentia, tanquam ex potentia et actu. Constat autem manifeste, quod potentia recipiens et componens cum aliquo non potest esse potentia objectiva, seu possibilitas rei in statu possibilitatis, quia haec nec recipit, nec componit cum actu, sed tollitur per actum. Sic autem affirmat D. Thomas loquendo de Angelis et aliis creaturis 1 part. quaest. i, artic. ii, ad 3 et 4, et quaest. iiv, art. iii, in corpore, et in ii, distinct. iii, q. i, artic. i, et ibidem ad Annibaldum quaest. i, artic. i, in fine corporis, ubi concludit: «Quod natura seu substantia Angeli est aliud quam ejus esse;» et similiter in libro de ente et essentia, cap. v et vi, et ii contra Gentiles, c. liii et liii, et quodl. ii, art. iii et iv.

Sed ad haec duo respondent Auctores oppositi. Primo, quod S. Thomas sumit existentiam pro subsistentia, quando distinguit illam a natura. Secundo, quod loquitur de compositione rationis, non reali, quam compositionem dicunt versari inter ens possibile, et existentiam, per quam reducitur possibilitas ad actum.

Utraque tamen solutio aliena est a sensu Div. Thomae. Nam prima satis indigne sentit de proprietate et formalitate loquendi Div. Thomae, quomodo enim intelligi potest, quod in tam multis locis perpetuo agens D. Thomas de existentia et essentia, sumat semper existentiam pro subsistentia, et ita nihil nobis declareat de ipsa difficultate, quam inquire-

bat, scilicet de existentia, divertendo ad id quod non inquit, scilicet de subsistentia; praeterquam quod generaliter loquitur Div. Thomas de quacunq[ue] creatura praeter Deum, sive sit subsistens, sive non: in natura autem quae non subsistit, haec solutio stare non potest. Deinde, tanquam distinctas difficultates proponit et resolvit D. Thomas distinctionem subsistentiae a natura, et distinctionem existentiae ab eadem, ut agendo de Deo 1 p. in q. iii, in art. iii, et in art. iv de Angelis, ii contra Gent. c. liii et liii et iv, quodl. ii, art. iii et iv, et in ii, dist. iii, q. i, art. i et ii, ergo non sumit D. Thomas pro eodem subsistentiam et existentiam, cum proponat tanquam distinctas difficultates distinctionem existentiae in uno articulo et subsistentiae a natura in alio. Praeterea quia Div. Thomas saepissime dicit, quod forma subsistens recipit esse, et est potentia ad existentiam, ergo nomine existentiae non intelligit subsistentiam, alias esset sensus, quod forma subsistens esset in potentia ad subsistentiam, et reciperet illam, quod est battologia, et antecedens constat, nam 1 p. q. x, art. ii ad 3, inquit: «Subtracta materia, et positio, quod ipsa forma subsistat in natura, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum, et talis compositio intelligenda est in Angelis;» et opus. xv, c. viii, inquit: «Quod forma subsistens non est non ens, sed actus, qui est forma participativa ultimi actus, qui est esse.» Ac denique 1 p. q. xvii, art. ii, et quodl. ix, art. ii, dicit: «Quod esse pertinet ad naturam, et ad hypostasim seu subsistentiam, et quod naturae convenit ut quo supposito autem ut quod;» ergo nomine existentiae seu esse, non intelligit ipsam subsistentiam, alioquin esset sensus quod subsistentia convenit subsis-

tentia, seu hypostasi ut *quod*, quo nihil absurdus.

Contra secundam autem solutionem primo instatur, quia hæc compositio inter rem possibilem et existentiam non est compositio in facto esse, sed solum in fieri, quatenus sit transitus ab esse possibili ad esse actuale, nam in facto esse satis constat, quod non manet ens in statu possibilitatis, sed extra illum, unde si in facto componeret, jam non esset compositio ex ente possibili, sed ex enteposito extra talem statum, status enim ille tollitur, quando res est sub existentia. At D. Thomas ponit in Angelis compositionem ex natura seu forma subsistente, et existentia seu esse, ut patet in 1 part. quas. 1, articulo 11 ad 3, contra Gentiles, cap. 14, quæ compositio in Angelis datur in facto esse, cum in facto esse natura Angeli non sit suum esse, nec sua existentia; ergo non est compositio tantum ex ente possibili et existentia. Præterea in 11 contra Gent. cap. 14, dicit: « Quod in Angelo modo non est potentia ad non esse, quia substantia completa est proprium susceptivum ipsius esse, proprium autem susceptivum alicujus actus ita comparatur in potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum, sicut ignis non est in potentia ad frigus, sed ad calorem, et in ipsis compositis non est potentia ad non esse, nisi ratione materiae. » Ex quo fit evidens argumentum, nam substantia Angeli considerata in statu possibilitatis non potest dici, quod sit solum in potentia ad esse, ut proprium susceptivum illius, nec autem in potentia ad non esse, cum in illo statu sit indifferens ad esse, et non esse, et de facto quamdiu durat ille status, datur sub non esse, modo autem dicit Div. Thomas quod non est in ejus substantia potentia ad non esse, ergo illud quod modo compo-

nit cum existentia apud D. Thomam non est ipsa natura sub statu possibilitatis, quia hoc est indifferens ad esse et non esse, et in potentia ad non esse.

Supposito ergo hanc esse mentem Div. Thomæ, fundamentum ejus ad duo tantum capita reducit. Primum est, a priori explicando radicem seu causam, unde aliqua dicantur distingui a parte rei. Secundum sumitur ex solutione oppositæ difficultatis, ostendendo quomodo existentia, etiamsi distincta sit ab essentia, possit effectum suum formalem præbere et extra causas seu extra nihil constituere.

Et quantum ad primum, radix et fundamentum distinctionis a parte rei, quando nobis aperte non innoscit ex ipsa separatione extremorum, quæ est manifestissimum signum distinctionis rerum, solum restat indagandum et probandum ex ipsa exclusione conceptus unius a conceptu alterius, ita quod aliquid totaliter sit extra conceptum et quidditatem alicujus, et tamen realiter illi conveniat et adjungatur. Et explicatur in hunc modum. Quotiescunque aliquid prædicatum reale et positivum ita convenit alicui, quod nec est illi essentialia, nec cum eo intrat constitutionem, et essentiam alicujus tertii, nec eadem forma provenit, sed a principio totaliter extrinseco, impossibile est quod non fundet aliquam distinctionem a parte rei respectu ejus cui sic convenit, sed existentia hoc modo se habet respectu essentia, ergo distinguitur ab illa a parte rei. Major probatur, quia ea quæ sic se habent carent omni principio identificatio- nis realis, nec poterit instari in aliquo prædicato reali et positivo, quod identificetur cum altero, et non sit de conceptu illius, vel de conceptu et quidditate alicujus tertii, vel ab eadem forma proveniat et non a

principio extrinseco, nisi forte identificetur cum alio ut modus cum re, qui tamen modaliter distinguitur, et a parte rei, modo autem solum intendimus existentiam plusquam ratione distingui ab essentia, sive sit modus sive res. Et enim quod solet adduci de prædicato generico et differentiali, v. g. animal et rationale, quod rationale accidit animali et est extra conceptum illius, et tamen a parte rei identificantur, nihil obstat, nam rationale et animal, licet unum non sit de conceptu alterius, utrumque tamen est de conceptu alicujus tertii quod constituunt, scilicet hominis et ab eadem forma proveniunt, id est, ab eadem anima; et ut optime notavit S. Thomas quodlib. 11, art. 14 ad 1, dupliciter aliquid accidit alicui, uno modo ut determinativum alicujus principii essentialis, licet in ejus definitione non cadat, sicut rationale accidit animali; alio modo, quia nec est de ejus definitione, nec determinativum alicujus principii essentialis sicut albedo accidit homini, et hoc modo dicit, quod esse accidit rei, quia est extra rationem speciei cum omnibus prædicatis quidditativis. Unde etiam non valet instantia de actione et passione, quæ identificantur cum motu, et tamen unum non est de conceptu alterius; hæc enim identificantur, quia ab eadem forma proveniunt, scilicet a motu, seu a re, quæ est in fieri et tendentia; præterquam quod actio et passio licet identificentur in eadem realitate, tamen distinguuntur a parte rei tanquam duo modi, ergo ex hac instantia non inferitur, quod existentia non distinguatur a parte rei ab essentia, saltem ut modus.

Restat ergo probare minorem, scilicet quod existentia respectu essentia sit prædicatum reale, carens omni principio identificante illam cum essentia. Quod enim sit

prædicatum reale, et conveniens physice ipsi rei, manifestum est, quia ejus effectus formalis est rem esse extra nihil et extra causas, hoc autem est maxime aliquid reale et physice conveniens, quia physice res ponuntur extra causas, et producuntur ab illis. Quod vero careat omni principio identificante ipsam existentiam cum essentia, inde constat, quia semper est accidentale prædicatum physice, et in re, nec potest convenire alicui rei tanquam prædicatum essentialia, nec ut dimanans necessario ab ipsa essentia, nec ut constituens essentialiter aliquid tertium, cui conveniat, quia alias alicui rei creatæ et productæ conveniret existentia necessario, et tanquam prædicatum æternæ veritatis, cum tamen hæc prædicatio: *Petrus existit*, nunquam possit verificari ab æterno. Solum ergo convenit existentia alicui rei mediante participatione ipsius agentis, et sic non habet principium identificatio- nis, quia non convenit re ex aliquo principio intrinseco, sed ex aliquo extrinseco, nempe ex ipsa productione agentis: existentia enim est ipsa productio in facto esse, seu ipsum poni extra causas; ergo oportet quod in ipsa re producta, et inveniat entitas, cui convenit existentia, et ipsa formalitas existentia tanquam accidentale prædicatum, et ipsi essentiali constitutivo extrinsecum.

Sed dices: Hoc prædicatum accidentale non identificari cum entitate, ut possibili, et sub statu possibilitatis, seu distingui ab ea tanquam ens et non ens. Cæterum rei productæ, et extra causas positæ non potest convenire existentia tanquam prædicatum extrinsecum, implicat enim intelligere rem productam, et non actu extra causas; quidquid ergo superaddi ponatur, jam invenit rem existentem. Et instatur